



# The Holy See

---

IOANNES PP. XXIII

**EPISTULA AD HAMLETUM IOANNEM  
TIT. S. CLEMENTIS S. R. E. PRESBYTERUM  
CARDINALEM CICOGNANI,  
QUEM LEGATUM DELIGIT  
AD CONVENTUM CATECHESI PROVEHENDAE  
EX UTRAQUE AMERICA**

**IN URBE DALLAS (TEXAS) CELEBRANDUM ADMODUM GRATUM\*** *Dilecte Fili Noster,*

*salutem et Apostolicam Benedictionem* Admodum gratum habuimus nuntium sub exitum huius anni in urbe Dallas (Texas) celebratum iri catechesi provehendae ex utraque America Conventum. Cuius momentum et pondus ex veritate aestimatur, ubi animadvertitur ad huiusmodi coetus sacrorum Antistites Foederatarum Americae Civitatum, Canadiae et Americae Latinae vocatos esse, atque argumenta ibidem pertractanda, natura ac genere suo, ad religiosam vitam multarum gentium duarum eontinentium terrarum spectare, ut haec aptis consiliis peritisque viis divinae veritatis lumine magis magisque collustretur et maiore sanctitate morum resplendeat. Qui amplissimus Conventus ut, pro ea qua praestabit magnitudine, sollemnior et honorabilior contingeret, postulatum est a Nobis e Purpuratorum Patrum Collegio aliquem mitti, qui illic personam Nostram. gereret. His libenter concedentes votis, te, Dilecte Fili Noster, Legatura Nostrum deligimus et statuimus, qui Nostro nomine et auctoritate agendo catechesi promovendae Conventui praesideas; et cum probe noverimus, te scientia rerum, quae illic disquirentur, pollere ac praeclaris animi dotibus exornari, pro certo habemus hoc, quod tibi confidimus, munus te digne, graviter, decore atque magno cum spirituali fructu persoliturum esse. Sententiae autem Nostrae factus interpres, nonnulla quae animo Nostro concepimus, diserto ore, ut soles, operam da eis proponere, qui, crebri numero et perfunctione magistrorum muneris spectandi, in urbem Dallas una simul convenient. Insigni honoris titulo se decorari reputent ii, qui christianam doctrinam aliis tradere officio astricti aut sua voluntate et sponte student, itemque id persuasissimum habeant se huiusmodi laboribus et curis meritortim opimam segetem sibi comparare. Commissi sibi muneris partes nullo non tempore cum sedulitate, cum gaudio, cum fidei calore et vigore meditentur et exequantur. Haereant intima prece Christo, qui Christum nuntiant, humili ducti amore, quo non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed Dei Verbi virtute confidant (1). Illud denique secum considerent S. Augustini praeclarum effatum: *Magisteria forinsecus, adiutoria quaedam sunt et admonitiones ... Cathedram in caelo habet qui corda docet ... floc ergo vobis dicimus: sive plantemus, sive rigemus loquendo, non sumus aliquid; sed illo qui incrementum dat Deus, id. est unctio illius quae docet nos de omnibus* (2). Haec loquere et hortare, paternae vocis Nostrae velut praeco effectus. Caelestis autem gratiae tibi auxilia invocamus, ut legatio, qua fungeris, bonos exitus communi cum oblectamento edat. Huius autem causa tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam Benedictionem peramanter

impertimus eandemque per te ad universos, qui catechesi provehendae ex utraque America Conventui in urbe Dallas intererunt, pertinere perlibenter volumus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XX mensis Martii, anno MCMLXI, Pontificatus Nostri tertio.* **IOANNES PP.**

---

**XXIII**

\*A.A.S., vol. LIII (1961), n. 15, pp. 809-810. (1) Cfr. *1 Cor.* 2, 4.

(2) S. Augustinus, *In Epist. Iohannis*, cap. 2, Tractatus III. 13.